

quod si tamen consideres in conceptu suo proprio, imperfectionem nullam importat: Sic v. g. sapientia, iustitia, scientia & similia in conceptu suo communi ac generico important imperfectionem, concipiuntur enim ut qualitates & accidentia, accidentium autem esse est inesse, vel existere in alio, tanquam in subiecto secundum vulgatam sententiam; at verò hoc imperfectionis est. Quod si verò consideres eadem in conceptu suo proprio, tunc imperfectionem nullam dicunt.

§. Notanter additur 2. in conceptu formali: dicitur autem h. l. conceptus formalis, qui mentis beneficio est abstractus ab omnibus aliis, quæ sunt extra rationem quidditatis vel essentia alicujus rei, h. e. qui præcisè essentiam rei comprehendit & ab omnibus aliis, quæ cum re sunt conjuncta, præscindit: cui opponitur conceptus rei materialis, qui est conceptus non præcisè ipsius esse; sed aliorum, quæ extra rationem quidditatis sunt & in re inveniuntur. Sic v. g. substantia ratio est in homine, & eadem etiam invenitur in DEO: sed in homine multa sunt conjuncta cum substantia, quæ sunt extra rationem quidditatis

substantia, qualia sunt v. g. esse compositum ex materia & forma, subsistere accidentibus, esse corruptibilem, quæ in DEO cum substantia non conjunguntur. Jam si ergò præcisè ea sumam, in quibus quidditas seu essentia ratio substantia consistit, adeoque concipiam substantiam, ut ens per se subsistens, tunc formo ipsius conceptum formalem: reliqua autem, qualia sunt compositum esse, subsistere accidentibus pertinent ad conceptum substantia materialem.

§. Notanter dicitur 3. quod importet perfectionem cum nulla imperfectione mixtam. Quod dicitur ad excludenda ea, quæ quatenus in formali ac proprio suo conceptu etiam important perfectionem quandam, verum non absolutam, sed perfectionem tantum secundum quid, quæ est cum imperfectione mixta. Atque ita se habet perfectio simpliciter & perfectio in suo genere, quarum illum DEO competere formaliter, hanc verò eminenter adserunt.

FINIS.

SOLI DEO GLORIA!

